

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

13 April 2022

.....

Translate **ALL FOUR** passages. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. You are able to print the exam if you wish to have a hard copy, but your translation must be entered online.

You have three hours to complete the examination.

.....

1. Richard the Lionheart annoys his allies by acting arrogantly after the capture of Acre.

Capta igitur civitate rex Anglorum signa triumphalia sui exercitus turribus affigi precepit, titulum victoriae ex toto sibimet ipsi satis arroganter ascribens. Hacque de causa cum per civitatem transiret, vexillum ducis Leopaldi turri, quam ipse cum suis obtinuerat, affixum vidit suumque non esse recognoscens, cuiusnam sit, percontatur. Quod Leopaldi ducis Orientalium esse accepto responso eumque ex parte civitatem obtinuisse comperiens maxima indignatione permotus vexillum turre deici lutoque conculcari precepit, insuper ducem verbis contumeliosis affectum sine causa iniuriavit. Preter hec, preda communi universorum sudore acquisita inter suos tantum distributa, reliquos privavit in seque odia omnium concitavit. Omnibus enim fortiori militum robore prestabat et ideo pro velle suo cuncta disponens reliquos principes parvipendebat. Attamen Teutonica milicia cum Italica his admodum exasperata regi in faciem restitisset, nisi auctoritate militum Templi repressa fuisset. Anglicam itaque perfidiam detestantes Anglieneque subdi dedignantibus ascensis navibus simul cum duce Leopaldo repatriaverunt.

2. Wladyslaw II Jagiello of Poland thanks Konrad von Jungingen, grand master of the Teutonic order, for the gift of some falcons.

Magnifice et uenerabilis domine, amice nobis sincere dilecte, falconum uestrorum nobis ad presens allatorum fiducialis amicicie missio tantarum iocunditatum nobis attulerit solatia que per scripta non poterint explicari. In cuius missionis effectu non tantum muneris magnitudinem sed diregentis amici affectum omnibus donis reputamus cariorem. Pro quibus uobis ad multiplices et iugi memoriae imprimendas graciaram assurgimus acciones. Et utinam mens nostra saperet et nouissima prouideret, quibus mentem uestram iocundam redderet aut aptis muneribus consolatam, acquireret profecto exinde solacium speciale. Et quamuis bene securi sumus de integritate sinceritatis purissime quam erga nos geritis, in ea tamen securiores et multo tuciores redderemus, si presumptione de nobis accepta non pro eis que uobis grata forent et in partibus dominiorum nostrorum reperiri possint uobis acquirendis requirere curaretis. Quocirca sinceritatem uestram studiosis rogamus affectibus quatenus ommisso omni rubore pro eis que uobis accepta essent et sub potestate nostra inueniri possent nos audacter requiratis, ut ea uobis gratuite dirigamus.

3. Apollonius of Tyre makes landfall and offers peace to the waiting crowds.

Ast unus miles, qui turbas duxit heriles,
Longe porrecto fertur sic dicere telo:
'Quo festinatis? pacem bellumne paratis?
Dicite quid vultis, portum non ante tenetis,
Vestra nec in nostris haerebit classis harenis.'
Exin Apollonius fuerat de puppe locutus:
'Nostra ciet bellum tibi pauca catervula nullum.'
Extendensque manum dixit 'Hunc cernite ramum.
Pacis enim signum per olivae porrigo lignum.'
Signifer astantes iussit requiescere plebes,
Necnon porrectam retraxit mitior hastam:
Fecit securas pueros advertere proras.
Classes subducunt necnon retinacula nectunt
Et subito socii subeuntes littora laeti
Cespitem sub viridi donabant membra quieti.

4. Boniface asks Eadburga to pray for his safety as he is beset on all sides by evil.

Aureo spiritalis amoris vinculo amplectende et divino ac virgineo caritatis osculo stringende sorori Eadburgae abbatissae Bonifatius episcopus legatus Romane ecclesiae in Christo salutem. Dilectionis vestrae clementiam intimis imploramus precibus, ut pro nobis intercedere apud auctorem omnium dignemini. Ut non ignoretis causam huius precis, sciatis, quia nostris peccatis exigentibus conversatio peregrinationis nostrae variis tempestatibus inluditur. Undique labor, undique meror. *Foris pugnae, intus timores*. Super omnia gravissimum: quod vincunt insidiae falsorum fratrum malitiam infidelium paganorum. Rogate ergo pium defensorem vitae nostrae et unicum salutare laborantium refugium, *agnum Dei, qui abstulit peccata mundi*, ut nos inter talium luporum cubilia lustrantes dextera sua protegente inlesos custodiat, ut, ubi debuerunt esse speciosi pedes portantium lucernam pacis evangelicae, non invenientur tenebrosa errantia apostatarum vestigia; sed magis pater piissimus accinctis lumbis nostris perficiat lucernas ardentis in manibus nostris et inluminet corda gentilium ad contemplandum evangelium gloriae Christi.